

pulorum exempla, hic quoque referantur. Et vero in haec tempora forte arduum negotium gloriaeque plenum quadam fato-
rum prouidentia reseruatum, ut, honoris, qui inter mortales
est, supremum ac regale fastigium GENTI accederet, ne per-
fecti operis argumentum futuro scriptori deesset.

§. II. Recensebimus nos, quantum in hac penuria
licet, singularum tamen prouinciarum rationes seorsim
habitori.

DE PORVSSIA.

I. M. Caspar SCHVZII, Secretarii Reip. Dantisc. Hi-
storia Rerum Porussicarum 1525. edita (1) Seruestae 1592.
fol. (2) cum continuatione Dau. Chytraei ad an. 1599.
Lipsiae 1599. fol.

Prior editio nitida magis, praeterea Magistrorum ordinis in-
signia refert: posterior continuatione aucta. Mortuus est
Schuzius 1594. d. 18. Sept. quod manu adscriptum est editio-
ni meae. Auctor patria Islebiensis, ab eruditione, candore, lu-
culentia commendandus: plenissimus in hoc argumento. Lau-
dat in principio operis omnia Chronica Porussiae edita & ma-
nuscripta. Ceterum X. tantum libri supersunt: undecimus
inter libros prohibitos: nimis enim animi habuit pro veritate.

II. Petri de DVSBURG Chronicon Porussiae ab an.
1266. ad an. 1336. cum incerti auctoris continuatione
ad an. 1435. cum animaduersionibus Christ. Hartknochii,
Francof. 1679. 4t.

Latine scripsit auctor, qua etiam lingua editus est: sed ver-
sionem in manibus habui, Germanice redditam, vetustissimi ve-
ro idiomatis 1340. Nicolai Ieroschini. Editionem eius pro-
curare audio Dn. de Seidel, virum in omni literarum genere
excellentiissimum.

III. M. Christoph. HARTKNOCHII, Prof. Gymn.
Thorun. Alt und neues Preussen, Francof. 1684. fol.

Habes hic (1) descriptionem ordinis Teuton. Magistrorum;
(2) de veteri lingua; (3) moribus; (4) religione; (5) re-
publica disceptationes; (6) urbiumque singularum historias.
Quamuis pleraque ex animaduersionibus eiusdem, in Dusbur-
gensi laudatis, petita versaque sint; de omnibus tamen id ve-
rum non est; ut adeo neutro libro carere possimus.

IV.